



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

16. Alia mater Deo filium suum offerens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Apud Socratem legimus, Edessæ, in Mesopotamia, fuisse templum illustre D. Thomæ Apostoli honoribus consecratum, in quod homines, ob loci sanctitatem, magna æquè frequentia ac pietate confluere solebant, qui omnes hæresin Valentis Imperatoris detestabantur. Quod ubi intellexit Imperator, Præfectum manu sua depalmauit de negligentia. Debuisset enim eos inde expellere. Præfectus non solum ob acceptam contumeliam, sed etiam quia animæ crudelitatis esse censebat, tot homines innocentes occidere, admodum inuitus parebat. Quare clam eos curauit moneri, ne se eo in templo finerent deprehendi. Illi autem, quasi iussi, non quasi prohibiti essent, ita neque consilij moti, neque minis territi, postero die, multò, quàm priùs vnquam, maiore frequentia, in templum D. Thomæ concurrerunt. Præfecto igitur, magna militum manu stipato, ad eundem locum veniente, pauperetula quædam mulier, quasi ad stipem accipiendam curreret, ita filiolum suum manu contrahens, cupidè properabat, ac ne quid negligeret, ipsam ordinem & agmen satellitum Præfecti interruptum penetrabat. Quod animaduertens Præfectus mulierem ad se citatam ita est affatus: *Quò tam inconditè curris, infelix mulier? Cui illa: Quò alij, inquit, currunt. Ille vicissim. Non audisti, ait, Præfectum cunctos interempturum, quos ibi repererit? Audisti, respondit mulier, & ob eam causam festino, vt & ipsa ibi inueniar.* Hæc tam generosa responsione accepta, in admirationem datus Præfectus Imperatorem conuenit, ei que & numerosam multitudinem, & inuictam virtutem exposuit, affirmans, omnes esse pro fide sua mori paratos; neque humanum esse, vt tanta mortalium multitudo, in templo, velut macello, trucidaretur. Qua oratione iram Imperatoris leniuit; & seruatus est tantus hominum numerus, vnus femine filium suum Christo victimam facturæ exemplo ac pietate: cuius virtus non filio duntaxat, sed etiam Ecclesiæ, ne tot sanctis priuaretur, profuit.

Pauca hæc & dixisse, & fecisse videri potest, si illam consideremus, de qua Prudentius stylo Poëtico, sed historica veritate scribit, nobilissimi Martyris Romani rogatu, coram Afcledit, in Præfecto, puerulus adhuc septennis, explosa Ethnicorum idolo-

XVI.

Socrat. lib. 4.
hist. Eccl. c. 18.

XVII.

Prudent lib.
Perisepha-
non.